



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. lviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

si populus fidelis cibus est Dei, eiusdem cibi condimētum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & penè coniunctum esse. Sicut enim episcopi apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri caterorum discipulorum domini vicem tenent. Et illi tenent gradum summi pontificis Aaron, isti verò filiorum eius. Vnde oportet vos semper memores esse tātæ dignitatis, memores vestrae consecrationis memores sacræ, quam in manibus suscepistis, vñctionis: vt nec ab eadē dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro vnguine delibutas peccando polluat: sed cordis & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplū bene viuendi præbētes, his quibus præestis, ducatum ad cælestia regna præbeat.

*Vt singuli presbyteri singulos habeant clericos. Cap. LVI.*

**V**T quisque presbyter qui plebem regit, clericum habeat qui secum cantet, & epistolam & lectionem legat, & qui scholam possit tenere, & admoneat suos parochianos, vt filios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat.

*Ex cōcil.*

*Hānetēsi*

*cap. 9.*

*Quod presbyterorum fides primū discutienda sit.*

*Cap. LVII.*

**P**rimo omnium discutienda est fides sacerdotum qualiter credant, & alios credere doceant. Ibi & exempla proponenda sunt, quatenus à creatura creator quantulūcumque possit intelligi.

*Ex cōcil.*

*Matiscē.*

*cap. 3.*

*De eadem re.*

*Cap. LVIII.*

**H**ortamur vos paratos esse ad docēdas plebes nostras. Qui scripturas scit, prædicet scripturas. Qui verò nescit, saltem hoc quod notissimum habet plebibus dicat, vt declinent à malo, & faciant bonum, inquirant pacem, sequantur eā: quia oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo se excusare poterit, quòd non habeat linguam vnde possit aliquem edificare. Mox enim vt quemlibet errantē viderit, prout potest & valet, aut arguendo, aut obsecrādo, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur.

*Ex dictis*

*August.*